Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26054
Copyright: Admont, Benediktinerstift

habebat terram intus propter muros pene ipsis muris aequalem, ne videlicet eos sine subsidio terrae adiacentis erectos crebro insistente manu hostili deiceret ictus arietis; extrinsecus autem murorum altitudo longe superficiem terrae transcenderat, maxime cum in montis vertice ut scriptura refert fuerit urbs eadem posita. Ait ergo rex superbus obsessam terrens civitatem, quod tantam haberet secum exercitus multitudinem, ut etiam si quisque militum eius unum solummodo lapidem vel stipitem vel cespitem ad construendum contra urbem aggerem adportasset, agger exurgeret, qui superficiei civitatis ipsius quae erat intra muros esse videretur aequalis, ita ut ex aequo pugnantes contra civitatem tela vel faces mittere possent. Cuius temeritatem arrogantiae modesto sermone conpescens rex Israel ait: Dicite ei, ne glorietur accinctus aeque ut discinctus. Aliud est autem accinctus, aliud discinctus, aliud non accinctus. Accinctus namque est qui cingulo circumdatus incedit; discinctus qui cingulum nuper deposuit, verbi gratia balneum intraturus vel lectum ascensurus vel aliam forte tunicam induturus; non accinctus qui nuper tunica indutus necdum se addita zonae circumpositione munivit. Sic ergo in expeditione castrensi qui positus est recte accinctus nominatur, id est armis indutus. Qui pugna confecta victor domum redit, iure discinctus vocatur, quia nimirum depositis armis optatum pacis otium gerit; qui vero necdum pugnare nec se ad certamen parare iam coeperat, merito non accinctus esse dicitur. Ait ergo rex Israel regi Syriae glorianti quasi iam cepisset Samariam quam obsidere coeperat: ne glorietur accinctus aeque ut discinctus. Ac si aperte dicat: Noli gloriari quasi iam victor belli discriminis, qui adhuc in acie positus quae victoria sequatur ignoras. Et verum profecto dicebat. Nam mox inito certamine Benadab non victis adversariis triumphans, sed caeso suo exercitu fugiens domum rediit. Mystice autem Benadab hostis Israel significat diabolum omnium bonorum inimicum, qui